

Videri perhibet Sandius, hos autem Arii & Nestorii erroribus adductos fuisse tradit, L. II. p. 193. & in Append. p. 93. ideò de his quoque in cap. seq. videbimus.

CAP. II.

De Nazarenis Hæreticis.

S U M M A R I U M.

§. I. Nazàræorum *nomen* à Christianis ad heterodoxos *translatum*. Hæreticorum *nomina* à loco. (2.) de Nazareis hæreticis, *scriptores antiqui*. An iidem Pseudo-Apostoli & Nazareï? an distincti? An Epistola Pauli ad Galatas Nazareis opposita? (3.) Pauli tempore *nomen illud hæreticis* nondum fuit proprium. (4.) Natales eorum non adeo liquidi (5.) origo tamen ex Judæis, per conjunctionem religionis illorum & Christiana. (6.) Semina hæreseos tempore Pauli. Incrementa. (7.) Sententia Philastrii, quâ à Nasiræis illi deducuntur, expenditur. (8.) Nazareï dicti Symmachiani, apud Augustinum: diversi à discipulis Patricii, de quibus Philastrius. An à Symmacho, Marcionis discipulo? (9.) An ab illo Interprete Scripturarum? Symmachus hic Samaritanus, Judæus, Ebionæus. J. H. Ottius correctus. Ittigius laudatus. (10.) Occasio assumti à Judæis Christiani nominis. (11.) Diffusio hæreseos Nazaræorum per loca varia. Duratio. (12.) Nomen Nazaræorum sectæ illi nec unicum nec perpetuum. Judæorum imprecatio non tam adversus hæreticos, quam Christianos quosvis. Epiphanius correctus. Hæresis Minæorum juxta Judæos, quænam? (13.) Nazareï de quibus b. l. an veri hære-